

prioratus nostri Bohemie priori, salutem in Domino sempiternam. His, que decus et augmentum cultus divini concernunt, libenti animo nostrum consensum impartimur. Nuper siquidem pro parte vestra nobis fuit humiliter expositum, quod nonnulli in confraternitatem religionis nostre in prioratu, preceptorii, ecclesiis et locis prioratus Bohemie introire desiderant, si modo nostra auctoritate interveniente participes sanctorum et piorum operum, que in ordine nostro in dies fiunt, participes extiterint, quod humiliter expostulastis, ut super his nostram licentiam et facultatem impartiri dignaremur. Itaque considerantes ea esse equa, sancta et devota, serie presentium invicem maturo et deliberato consilio confraternitates ipsas instituendi[!], ordinandi atque confratres, cuiuscunque status et sexus fuerint, in eisdem preceptorii et ecclesiis ac locis recipiendi, qui manus adiutrices in certa quota ordinanda per vos^a porrigere anno quolibet debeant, ex qua quidem porcione thesaurus noster Rhodi aliquam quotam assequatur, ipsosque fratres sanctis et piis operibus, que in nostro ordine fiunt, aggregandi et participes efficiendi auctoritatem, facultatem et potestatem vicesque nostras vobis atque illis preceptoribus et fratribus, cui aut quibus licentiam dandam decreveritis et nominaveritis, damus, concedimus et impartimur, quodque huiusmodi auctoritas nullo pacto iuribus thesauri preiudicium generet, qui propterea non oneretur in aliquo. Mandantes et precipientes universis et singulis fratribus religionis nostre, ne contra presentes nostras litteras auctoritatis et licentie aliquatenus facere vel venire presumant, quinimmo ipsas inviolabiliter observent. In cuius rei testimonium bulla nostra communis plumbea presentibus est appensa. Datum Rhodi in nostro conventu die vicesimasexta mensis Octobris anno ab incarnato Christo Ihesu, Domino nostro, millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo. — *Auf der Plica unten links* R(egistra)ta, *rechts* In cancellaria G. Caoursin vicec(ancellarius).

8.

Der Meister und Kardinal Fr. Pierre d'Aubusson schreibt dem Prior von Böhmen Fr. Johann von Schwanberg, dessen Gesandte zum Generalkapitel in Rhodos seien angekommen. Gemäß deren Bitte gestattet der Meister ihm, Güter des Ordens vom Heiligen Grab zu verleihen, jedoch ohne Schaden für die Einkünfte des Ordensschatzes. Allerdings wundert sich

a) danach Lücke freigelassen